



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De institutione & eius causa. B

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

tem ad quem vsus mulier facta esset, post exta-
sim propheticè dixisse. Hoc nunc os ex ossibus
meis, & caro de carne mea: propter hoc relinquet
homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ:
& erunt duo in carne vna.

De duplici institutione coniugii. B

Coniugij autem institutio duplex est Vna ante
peccatum ad officium facta est in paradiso, vbi es-
set thorus immaculatus, & nuptiæ honorabiles:
ex quibus sine ardore conciperent sine dolore pa-
rerent. Altera post peccatum ad remedium facta
extra paradysum, propter illicitum motum deui-
tandum. Prima vt natura multiplicaretur: Se-
cunda, vt natura exciperetur & vitium cohibere-
tur. Nam & ante peccatum dixit Deus, Crescite &
multiplicamini: & post peccatum, omnibus penè
hominibus per diluuium consumptis. Quod vero
ante peccatum institutum fuerit coniugium ad
officium, post peccatum vero ad remedium con-
cessum, Aug. testatur dicens, Quod sanis est ad of-
ficium, ægrotis est ad remedium. Infirmetas enim
incontinentiæ, quæ est in carne per peccatum mor-
tua, ne cadat in ruinam flagitiorum, excipitur ho-
nestate nuptiarum. Si vero non peccassent primi
homines, sine carnis incentiuo ac feruore libidi-
nis ipsi ac successores eorum conuenirent. Et sicut
remunerabile est aliquod bonum opus, sic coitus
eorum bonus esset & remunerabilis. Quia vero
propter peccatum, lethalis concupiscentiæ lex
membris nostris inhæsit, sine qua carnalis non fit
commixtio, reprehensibilis est & malus coitus,
nisi excusetur per bona coniugij.

Quando secundum præceptum, quando secundum indulgentiam contractum sit coniugium. C

Prima institutio habuit præceptum, secunda in-
dulgentiã. Didicimus n. Apostolo, humano ge-
neri ppter vitandam fornicationẽ indultum esse

Hebr. 13. 6

Gen. 1. 7

August. de
Gen. ad litem
ram, cap. 7.
lib. 9.

Rom. 6. 6

1. Cor. 7. 6